

III. Si denique γ) nostra promenda est sententia, ita pronunciamus: (1.) Vulgata hodierna quemadmodum ob allata modo argumenta, insignesque Hieronymi ἀντιλογίας, eadem per omnia cum Hieronymiana quidem non est, ita nec omnino alia, aut diversa, quæ nihil prorsus commercii cum Hieronymi habeat Nova. Si quis enim Prophetarum versionem Latinam ex Hebræo, quæ inter ejus opera extat, cum Vulgata conferat hodierna, magnam inter utramque convenientiam deprehendet, ita ut per integrum sæpe caput vix unum aut alterum discrepet verbum. In multis quoque Vulgata, v. g. in Chronologia, a LXX virali recedit, & cum Hebræo textu facit: pleraque insuper, quæ in antiqua versione defuerunt, quæque ex Hebræo se supplevisse dicit Hieronymus in sua versione, leguntur in Vulgata, quale illud Os. XI, 2. *ex Ægypto vocavi filium meum: Zachar. XII, 10. & aspicient ad me, quem confixerunt &c.* Multa etiam, quæ in antiqua Vulgata aliter legebantur ac in Hebræo, observante Hieronymo, eodem modo hodie comparent in Vulgata, ut in Hebræo, & ut legenda censuit Hieronymus: v. g. Gen. II, 2. ubi vetus editio ex Græca legebat: *complevit Deus die sexto opus suum*, monuit Hieronymus, secundum Hebræos legendum esse, *die septimo*: v. 22. pro, *eis tasin*, vertit Hieronymus, *soporem*: Gen. XXXV, 16. pro *Hippodromum*, vertit *verno tempore*: Jonæ IV, 6. pro *cucurbitam*, vertit *bederam* &c. In quibus omnibus locis, ut aliis multis, Vulgata sequitur lectionem Hieronymi. (2.) Vulgata ergo ex Veteri Communi, & Hieronymiana, aliisque, invicem permistis, ad eum quem §. præced. diximus, modum, enata est. Non publica quidem autoritate, nec uno eodemque tempore, in illum redacta modum, quo hodie legitur, sed sensim paulatimque, ex aliquot seculorum promiscuo usu, & tacito consensu potius, quam diserta ecclesiarum omnium conspiratione: ut falsus sit Baronius, quando *sit. loc. num. 47.* Vulgatæ ex utraque compositionem ita describit, ac si data opera, certo quodam statoque tempore, fuisset conflata, explosa illa Veteris & novæ nomenclatura, cujus tamen rei nulla ex probatis scriptoribus proferre potest documenta. Res ipsa misturam loquitur, cujus tamen circumstantias, autorem, locum, tempus, nemo definivit.

§. IV.

P. II. Cap. VI.
de Versione
Vulgatae Latinae.